



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

9. Contvdit Ille Semel.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

9. CONTVDIT ILLE SEMEL. &c. Clade scil. Varianâ, quâ factum est, ut Germania mox magis turpiter amissa sit, quàm gloriose acquisita, atque imperium, quod in litore Oceani non steterat, in ripâ Rheni fluminis staret. Flor. l. 4. c. 12. nec stabilem deinceps Romani ad Luppiam & Visurgim figere pedem potuerunt.

10. OSNEGGVM FRANCIS. Eginhart. in vita Caroli. Semel juxta montem, qui Osnegge dicitur, in loco Thiermelle nominato. Cranc. l. 2. Sax. c. 4. Recitatis his verbis, mox subdidit: ita scribunt Galli proprietatem linguæ non tenentes. Atqui Eginhartus Germanus fuit, rectiusque montis nomen, quod Crancius *Asneggi* vocat, expressit; Ità enim scriptum legitur in diplomatis Caroli M. de quodam nemore in silvâ *Osninge* Guihoni Osnabrug. Episcopo in perpetuum proprietatis usû donato. Ottonis M. An. 965. de eodem apud Ertwinum in Chron. Osnabr. S. Heinrichi regis, quo An. 1002. regni sui. Incendio Paderbrunnensis Ecclesie miserabili condolens, & petitioni fidelis sui Retharj venerabilis Episcopi annuens, in supplementû Ecclesie, in jus concessit, & per regale præceptû corroboravit, forestum, quod incipit de Lutherâ flumine, & tendit per Osnig & Sinidi usque in viam, quæ ducit ad Horihusam. Præterea in literis An. 1153. & 1338. datis mentio fit silvæ *Osnine*, prope quam prædium *Kivinchusen* dictum, & *Montanorum*, quæ *Osnine* appellantur. Fuit igitur *Osnegge*, *Osnig*, *Osninge*, *Osnine* nomen ejusdem saltûs, quem *Teutoburgiensem* Tacitus vocavit, & non pauca, nec obscura antiqui nominis vestigia, tum in tractu vicino Osnabrugæ, forsan prius *Osninebruchteria*. Moller. in descript. Rheni lib. 5. tum prope Dethmoldiam alibique supersunt. Nam vallis, quâ illuc ex *Sinedi* deserto itur, *Ossenthal*, quasi *Osninthal*, jugum seu cacumen montis Dethmoldiensis *egge*, ubi

F

Lippien.